

nitudine et gratia speciali clementer confirmavimus, illosque ab omni Rebellionis suspitione absolvimus, nec non singulis eorundem in pristinum statum tam circa honores et dignitates, quam etiam Bona hunc in modum restituimus, ut iis eadem confiscata Bona (exceptis fructibus medio tempore perceptis) per Cameram nostram Hungaricam quandocunque restituantur atque resignentur. Confidentes eosdem Caesaream, ac Regiam hanc benignitatem, gratiam et clementiam Nostram profunda animorum submissione agnituros, debitaque fidelitate ac devotione sua quibusvis affulentibus in occasionibus omnino reposituros, vel maxime autem se imposterum a nemine seduci aut detineri passuros, verum ad ultimum usque vitae halitum fideles et obsequentes subditos exhibituros. Alioquin hanc gratiam et absolutionem nostram iis modo praemisso factam minime volumus suffragari. Quocirca fidelitates vestras harum serie benigne hortamur, firmiter mandantes, quatenus amodo deinceps praefatos Berislavichium, Cholnichium, Chernkoczium, Gotthaliu, Gereczium, Mallinichium, Pogledichium et Kamenianum pro veris fidelibus nostris agnoscere ac tenere neque iis Notam hanc ullo unquam tempore quovis modo objicere, vel exprobrare velitis ac debeatis. Secus itaque nullatenus facturi. Gratia Nostra Caesarea et Regia vobis in reliquo clementer propensi manentes. Datum in Civitate nostra Vienna die decima Mensis Januarii. Anno Domini Millesimo sexcentesimo septuagesimo primo.

Leopoldus m. p.

Thomas Palfy m. p.

Electus Episcopus.

Stephanus Orban m. p.

A tergo:

Lectum et Compositum cum Originali per me Magistrum Nicolaum Patha-
lich de Zaiezda, Prothonotarium Regni. Idem.

Orig. in Archivo Regni Croatiae. Priv. N. 110.